Huc, dixi, sedem furibunda locavit Erinnis,
Monstraque quæ Stygius fertur habere locus
Sæpe volubilibus Draco torquet nexibus orbes,
Sæpe venenato corpore verrit humum,
Exercet cantus alibi Philomela sonoros,
Illa sed hunc tacito gutture muta silet
Solus ad hanc poterit gressum convertere silvam
Qui valet Orphea bruta movere lyra
Sive fugare suis immania monstra cavernis,
Seu vult cum misero Laocoonte premi.
Sed nihil est, quod non diuturno temporis usu
Pareat, et feritas quæ fuit ante, perit,
Unda cavat lapides, ferrum domat acrior ignis,
Quantalibet glacies sole calente liquet.
Et si voce volet Gallus terrere Leonem,
Non labor est reliquas pellere voce feras.
Jam Patriis Gallus valedicere cœperat oris,
Et propria charos linquere sponte Lares,
Cum proficiscentem placido Germania vultu
Excepit, læto continuitque sinu,
Cujus ad adventum pietas moribunda revixit,
Et sacra mendacis concidit ara Jovis.